Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1325
Quelle:
Copyright:

nique fatigatos et fere exanimes &c. quae certe *Convulsionarios Parisinos* in mentem revocant. Ut omnia *Haedi* nostri Scripta, ita et hic *Dialogus* lucem mereretur. Meminit alterius Exempli, quod apud *Laur. del Torre* Patritium *Civitatensem* (Cividal del Friuli) erat, *Joh. Jos. Lirutus* in *Notiz. dei Letterati del Friuli. Venet.* 1760. T. I. p. 435. sed illud dicatum est *Leonello Cheregato* tunc Ep. *Concordiensi*, cujus Viri plura Impressa in *Supplem. ad Maittair.* indicavi. Ceterum de *Haedo* (Cavretto) copiose et solerter egit *Lirutus l. cit.* quocum, si lubet, confer, quae notavi cum *Bibliogr.* meae vernac. P. I. p. 116. tum in *Memorab. Bibliotb. Garell.* P. I. p. 148. De *Jac. Gordino Lirutus* p. 395.

II. *fol.* 49. adscripta sunt: 1) *Hier. Balbi* Epistola ad *Joh. de Selnberg* supr. R. Boh. Cancellarium, quae incipit: *Si pro tuorum erga me meritorum* &c. et *Vol.* I. *Opp. Balbi Vindob.* 1791. ab *Jos. de Retzer* editorum 8. est p. 63. *n.* 28. 2) *Bohusl. de Hassenstein* Elegia ad *Balbum* hujus initii: *Balbe Teramnaeo* &c. Extat in *Th. Mitis Farrag. Poemat. Hassensteinii Pragae* 1570. p. 54. *n.* 11. et in *cit. Balbi Opp.* p. 241. *n.* 210. 3) *Balbi* prolixa Elegia ad *Hassensteinium* hujus initii: *Miraris latia genitum* &c. ut in mox *cit. Opp.* p. 101. *n.* 1. ubi et subectam *Notam* consules.

DLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 25. f. magnifice scriptus, minio insignis, et fronte deaurata, picturata, e R. Bibliotheca *Budensi*, ut videtur, delatus ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* hanc inscriptionem praefert: *Frater Nicolaus ex mirabilibus natus Colosuarien. ordinis predicat. diue Theologie professor ac per vniuersum dominium Serenissimi Regis Hungarie Heretice prauitatis inquisitor et Apostolicus predicator Magnifico domino Joanni de Schellenberg Regio Cancellario suppliciter se commendat.* Argumentum Tractationis ex hoc Prologo excerpo: *Diutissime inter mortales quesitum est. Cur iustissimus deus, qui personarum acceptor non est, eterna sua prouidentia ex hominibus vnum pre alijs ad perpetuam delegerit gloriam. Et ego in Natiuitate diui Joannis Baptiste predicando coram Serenissimo principe nostro Wladislao pientissimo Rege Hungarie Bohemie &c. hanc difficultatem iuxta ingenij mei paruitatem ita absolui. ut eciam nonnulli ex R^mis Hungarie prelatis qui tum aderant me rogarint ut scriptis et memorie, que predicaueram, commendarem.* Igitur XVIII. *Capitibus* spinosam hanc Praescientiae et Praedestinationis materiam e Scholae suae Thomisticae principiis docte pertractat. *Capite* XI. paullum effervescit: *Si quis nomine dampnacionis intelligat solam carenciam clare visionis dei sic parvuli nondum regenerati damnatis* U. 691

 aliquo